



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. IX. De Judæis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

nulla est natio, etsi barbara, quæ de Deo credulitatem, & opinionem non habeat. Torniel. *Annal. Testam. veteris in primord. Mund.* num. 1. & S. Thom. *part. 1. q. 1. per totam.*

2. *Quer.* An Pagani sint cogendi ad fidem? *Resp.* Negative, sed tantummodo muneribus alliciendi, quia fides est voluntarie suscipienda; & hoc siue sint subditi Principi Christiano, siue non. S. Thom. 2. 2. *quest. 10. art. 8.* Tamburin. d. §. 10. num. 2. Ubi quod eis non potest bellum indici eo solo titulo, quod fidem respuant.

3. *Quer.* An Gentiles cogendi sint ad audiendam Christianæ fidei Prædicationem? *Resp.* Affirmative, si subditi sint Principi Christiano, imò cogendi ad cavendum à peccatis contra jus naturale, & à blasphemis in Religionem Catholicam. Azor. Suarez, & alii citati per Tamburin. d. §. 10. num. 3. ubi subdit, quod si subditi non sint, & persequantur Christianos, & in Religionem Catholicam universali consensu invehant, possunt bello peti, & subjugari.

4. *Quer.* An Princeps Christianus possit tolerare ritus Paganorum sibi subditorum? *Resp.* Affirmative, dummodo non sint contra jus naturale, & absit periculum subversionis Catholicorum. S. Thom. 2. 2. *quest. 10. art. 11.*

5. *Quer.* An Pagani possint à Principe Christiano ejici à suo Dominio? *Resp.* Affirmative; proposita tamen electione, vel de fide amplectenda, vel de discendo cum suis bonis. Tamburin. d. §. 10. num. 5. Et ita Rex Hispaniarum ejicit Mauros, Anno 1611. Baptaglin. in *Annal. Sacerd. & Imper. d. Annal.* num. 14.

6. *Quer.* An liceat baptizare infantes Paganorum parentibus invitatis? *Resp.* Negative, antequam infans habeat usum rationis, & baptismum petat. Laym. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. n. 41.* Tamburin. in *Dec. lib. 1. cap. 3. §. 7. verb. Baptismus n. 3.* Quod tamen sic intelligit, nisi esset in articulo mortis, nam tunc liceret infantem baptizare; aut nisi sic instaret mater conversa ipsius filii infantis, vel ejus Patruus baptizatus; quia in eo casu, etiam si Pater reclamaret, filius infans esset baptizandus. Gratian. *Discept. forens. cap. 977.* Paschal. de *Patria potestate par. 1. cap. 7. n. 4.* Tondut. in *quest. canon. par. 1. cap. 48. n. 6.* & Carena, de *S. Officio par. 2. tit. 15. §. 20.*

CAPUT IX.

De Judæis.

1. *Quer.* In quibus interdicta sit communicatio Christianis cum Judæis? *Resp.* In undecim sequentibus actionibus; Videlicet, cum Judæis habitare; eorum azymis vesci, cum Judæis medicis uti; ab iisdem medicamenta accipere; secum in balneo se lavare; ad eorum convivia accedere, vel eos ad illa invitare; obstetrices, vel nutrices esse eorum in suis domibus, iisdem famulari; legata relinquere, ipsorum mancipium fieri; iisdem publica officia committere. Toto titulo de *Judæis.* Et 28. q. 1. cap. Nullus, & cap. Omnes. *Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.*

Tamburin. in *Dec. d. lib. 2. cap. 1. §. 8. n. 6* Baldel. *tom. 2. lib. 1. de Fide disp. 28. 29 & 30.*

2. *Quer.* An supradictæ omnes actiones interdictæ sint Christianis etiam cum aliis infidelibus? *Resp.* Negative; sed tres tantum; videlicet, iisdem famulari; vel officia publica concedere, seu lignamina, victualia, vel arma tanquam hostibus deferre. *cap. Judæi. cap. Cum sit. cap. Specialis. de Judæis.* Et text. in *Bulla Cœnæ Domini, §. 7.* Tamburin. ubi supra num. 7. ubi addit, ulterius interdictum esse cum illis matrimonium contrahere.

3. *Quer.* An communicare cum Judæis in quacunque prædictarum actionum sit mortale? *Resp.* Negative, sed solummodo in duabus ultimis, nempe arma deferendo; aut matrimonia contrahendo; nisi esset scandalum, contemptus, vel periculum subversionis. Tamburin. qui DD. pro utraque opinione allegat d. §. 8. num. 8. Baldell. d. lib. 1. disp. 30.

4. *Quer.* An hisce temporibus liceat Judæis Polygamia, & duas uxores tenere? *Resp.* Negative. l. Nemo *Judæorum 6. ubi Bart. C. de Judæis.* Sanch. de *Matrim. lib. 7. disp. 80. num. 12. & 14.*

5. *Quer.* An possint Judæi dare libellum repudii uxoribus suis, & alias ducere? *Resp.* Esse hinc inde Doctores contrarium sentientes. Negant Sanchez de *Matrim. lib. 10. disp. 1. num. 9.* Pontius *lib. 7. cap. 50. & Guttier. cap. 106. num. 2. & 3.* Affirmant Barbosa in *Rubrica, ff. Solut. matrim. & in d. l. Nemo C. de Judæis.* Farinac. 1. par. *fragmentorum Littera l. num. 652.* Rota *Avenion. decis. 57.* Menoch. de *Arbitr. Jud. casu 420. num. 94.* Hanc affirmativam opinionem esse receptiorem, & in praxi observatam testatur Tondut. *Can. quest. d. part. 1. cap. 48. num. 22.* Sed negativam novissime tuetur Carena de *S. Officio Inquis. part. 2. tit. 14. §. 21.*

6. *Quer.* Quomodo sint intelligenda illa verba Evangelii Matth. cap. 19. num. 9. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur?* *Resp.* Græcos ea ita intelligere, ut uxorem fornicantem liceat marito dimittere, & aliam ducere: quod tamen falsum est; quia nunquam licet aliam uxorem ducere, vivente prima. Cæterum verba Christi sic sunt intelligenda; Quicumque dimiserit uxorem suam absque fornicationis causa, moechatur, & quicumque aliam duxerit, pariter moechatur; nam Judæi duo quæsitæ fecerant Christo, an liceret uxorem dimittere? & an liceret aliam ducere? Respondit igitur ad primum, licere ob causam fornicationis; sed nunquam licere aliam ducere. Ita ex Cornelio à Lapide declarat Carolus Magrius in suo *Hierolexico* in contradictionibus apparentibus, ad *Matth. cap. 19.*

7. *Quer.* An liceat Christianis exigere usuras à Judæis? *Resp.* Negative. Marquar. de *Judæis. part. 1. cap. 7. in fine.*

8. *Quer.* An liceat Judæis exigere usuras à Christianis? *Resp.* Pariter negative; non obstante *Deuteron. cap. 23.* in quo videtur esse prohibitum Judæis, exigere usuram à fratribus suis, secus ab alienis; nam procedit de Idololatriæ tunc temporis delendis jussu Dei; non

non autem de populo Christiano. Marquard. d. p. 1. cap. 11. à num. 3. & seqq.

9. *Quer.* An Judæi sint cogendi ad domus tapetibus ornandas, sicut faciunt Christiani, quando Sanctissima Eucharistia deferretur processionaliter in die Corporis Christi ante domos, ubi ipsi habitant? *Resp.* Affirmativè, ut eruditè pluribus ex rationibus demonstrat Tondut. d. par. 1. quest. Canon. cap. 48. per totum.

10. *Quer.* An Judæus, si reiecto totaliter Judaismo adhæreat alicui sectæ Paganismi, possit à S. Officio Inquisitionis puniri? *Resp.* Affirmativè, ut docet Diana par. 4. tract. 4. resol. 2. & Salelles de S. Officio Inquisitionis lib. 1. cap. 11. num. 131. & seqq. ubi carpit Farinacium de Hæresi quest. 178. num. 132. & Ant. Soufam lib. 1. Aphorism. cap. 37. num. 27. contrarium scribentes.

11. *Quer.* In quot, & quibus casibus Judæi possint puniri à Sacro Tribunali Inquisitionis? *Resp.* In decem, videlicet; Primo, si Deum unum, æternum, omnipotentem negarent. Secundo, si dæmones invocarent, aut cum eis commercium haberent. Tertio, si prædicta Christianos docerent. Quarto, si blasphemias hæreticales contra Christum Dominum, aut Deiparam semper Virginem proferrent. Quinto, si aliquem Christianum ad Apostasiam seducerent. Sexto, si Catechumenum, aut quem alium volentem fidem suscipere, vi, dolo, aut consilio impedirent. Septimo, si Hæreticos, vel Apostatas reciperent, defenderent, aut occultarent. Octavo, si libros Talmudicos, aut alios Hæreticales detinerent. Nono, si aliquid in derisum fidei Christianæ, aut Passionis Domini perpetrarent. Decimo, si nutrices christianas detineant, & qua die Sacram Eucharistiam sumunt, lac earum emungant, & in latrinas, vel cloacas effundant. Ita Salelles d. lib. 1. cap. 11. num. 113. attenda Constitutione Gregorii XIII. quam per extensum ibi ponit, & Carena de S. Officio Inquisitionis par. 2. tit. 14. §. 6. & seqq.

12. *Quer.* Qua pœna plectendus sit Judæus, cognoscens carnaliter mulierem Christianam? *Resp.* Si mulier sit honestæ conditionis, esse plectendum morte, aut alia pœna corporali; si verò sit inhonestæ, aut meretriciæ vitæ, pœna arbitraria esse puniendum. Farinac. de Delictis carnis quest. 139. per totam.

13. *Quer.* Si Christianus cognoscat carnaliter Judæam, qua pœna debeat puniri? *Resp.* Gravissimos Doctores scribere, esse puniendum pœna mortis; sed Farinacium putare, quòd pœna sit arbitraria Judici juxta qualitates aggravantes delictum. Ita Farinac. d. quest. 139. num. 28. & 29.

14. *Quer.* Ad quem Judicem, Ecclesiasticum, vel Laicum spectet, delicta Judæorum punire? *Resp.* In delictis merè temporalibus, ut homicidiis, furtis, spectare ad Judices Seculares. At in mixtis esse locum præventioni. Carena, qui plurimos allegat 4. d. par. 2. tit. 14. §. 2. qui §. 3. subdit, Judæum cognoscentem carnaliter Christianam, ex veriori sententia, esse puniendum à Judice Ecclesiastico.

15. *Quer.* In quot, & quibus sectis olim Judæi fuissent divisi? *Resp.* In sex præcipuè sectis. Prima erat Scribarum, qui volebant teneri ad obediendum legi, nisi pro eorum arbitrio. Secunda Pharisaorum, qui hypocrisin ostentabant, quædam bona opera in publico facientes. Tertia Essenorum, quimonastico modo vivebant, sed errores habebant circa Messiam. Quarta Saducæorum, qui vitam æternam, ac resurrectionem à mortuis negabant, & more Epicureorum vivebant. Quinta Samaritanorum, qui dissidebant circa locum adorandi Deum, dicentes, non esse adorandum in Hierusalem, sed in suo Monte, & Templo Gazolitano. Sexta Herodianorum, qui docebant, Herodem esse Christum, & Messiam prædicabant. Ita ex SS. Patribus Salelles lib. 3. cap. 4. n. 100. & seqq. ubi alias sectas notat, & ego in Decis. 24. de Sacris. Misse.

16. *Quer.* An Judæus, qui ad Baptismum accessit, & amplexus est fidem, possit puniri de delictis patris ante conversionem? *Resp.* Plurimorum sententia Doctorem non esse puniendum; at communi Criminalistarum calculo pendere ab arbitrio Judicis, qui debet inclinare ad absolutionem, cum hoc tamen, ut si quid ex delicto est restitutum, fiat restitutum. Bajard, ad Clarum §. fin. q. 51. num. 47. & alii, quos citat, & sequitur Salelles d. tractatu lib. 6. cap. 1. reg. 446. à num. 478. & seqq.

17. *Quer.* An Judæus veniens ad fidem, teneatur restituere usuras antea perceptas? *Resp.* Affirmativè, si reperiantur personæ, à quibus eas exegit, quòd si non reperiantur, indultum est ei, ut illas retineat titulo elemosinæ per Bullam Pauli Tertii, de qua in Bullar. par. 1. fol. 415. Ita Salelles d. cap. 1. reg. 446. n. 486. & Nicolius Lucubrat. civil. lib. 3. tit. 1. n. 9. ubi quod ex Decreto S. Congregationis P. F. 15. Junii 1646. ei debetur legitima de bonis paternis.

18. *Quer.* An Judæi inter se contrahant cognationem spiritualem, vel legalem, vel publicam honestatem? *Resp.* Negativè, quia hæc impedimenta proveniunt à jure Ecclesiastico; & Judæi sunt extra Ecclesiam; idè licet Judæus baptizans conficiat Sacramentum, tamen non contrahit paternitatem. Ricciull. de Personis extra gremium Ecclesie existent. lib. 2. cap. 3. ubi quòd in gradibus à lege humana prohibitis contrahunt Matrimonia; & in eis perseverant etiam post susceptum Baptismum, & in cap. 4. ubi cognatione legali, spirituali, publicave honestate non affici probat.

19. *Quer.* An saltem Judæi contrahant inter se affinitatem? *Resp.* Esse hinc inde opinioniones tam de illa, quæ provenit ex copula licita, quàm ex alia ex fornicatione; sed magis probabilem reputari affirmativam, quia affinitas fundatur, & resultat ex jure naturæ. Ricciull. d. lib. 5. cap. 5. ubi num. 11. notat ex lib. 2. Reg. cap. 20. David intactas reliquisse decem concubinas suas, quia casus Abalon filius suus carnaliter cognoverat.

20. *Quer.* An Judæus contrahat irregularitatem ex homicidio, & ex bigamia? *Resp.* Nega.

Negative, quod ad irregularitatem ex homicidio, quia per baptismum tollitur ille horror ex sanguine effuso, & constituta est solo jure Ecclesiastico, etiam ad mentem juris divini. Affirmative vero quoad illam bigamiam, quia resultat à jure naturæ. Ricciull. plurimos allegans d. lib. 2. cap. 7. per totum, & est text. in cap. Si quis viduam dist. 50. & cap. Deinde dist. 26. & Sanch. de Matr. lib. 7. disp. 83. num. 9.

21. Quer. An Judæi gaudeant immunitate Ecclesiastica; ita ut, si fugiant ad Ecclesiam vel ob patrum delictum, vel ob æs alienum contractum, non possint in ea capi? Resp. Hanc esse insignem controversiam, in qua plurimi Doctores sequuti sunt utramque sententiam, ut videtur est apud Ricciull. de Jure personar. d. lib. 2. cap. 12. Alii negant, quia non videtur juri consonum, ut Ecclesia proficiat iis, qui sub ejus lege vivere recusant. l. 1. cum Auth. seq. C. de Hereticis. Qui affirmant, dicunt, immunitatem concedi non respectu personarum delinquentium, sed propter honorem, & reverentiam, quæ locis sacris, & Divino cultui debetur. l. Presenti. C. de his, qui ad Eccles. confug. Affirmativa opinio, quod scilicet Judæus gaudeat immunitate Ecclesiastica, censetur magis communis. Ricciull. ubi supra num. 9. Cevall. comm. contra commun. qu. 269. Farinac. de Immunit. num. 79. & Diana Coordin. tom. 9. tract. 1. resol. 44. & 45.

22. Quer. An Judæi venientes ad fidem, & clericalem statum assumentes possint accipi à Canonicatibus, & beneficiis Ecclesiasticis? Resp. Quod non possint accipi. Cap. Eam re. 7. de Prescript. Nicolius Lucubrat. civil. d. lib. 3. tit. 1. sub num. 9. Secus de filiis hæreticorum. Loter. lib. 3. cap. 28. num. 70.

23. Quer. An Judæo pauperi litiganti cum Christiano decernenda sint alimenta? Resp. Si lis sit super credito particulari, negative: si vero sit super omnibus bonis, aut eorum majori parte, affirmative; ut latè probat Ricciull. de Jure Person. d. lib. 2. cap. 21. à num. 1. & seqq. ubi docet etiam, deberi alimenta Judæo pauperi detruso in carcerem ad instantiam Christiani ob debitum civile, ut decidit Rotà ibid. sub num. 11. allegata.

24. Quer. An Judæus possit esse Arbitrator inter Christianos? Resp. Doctores plures plurima dicere de hac questione; quam examinat Ricciull. d. lib. 2. cap. 23. sed veriore esse opinionem negativam, tam si agatur de Arbitro necessario, quam de voluntario; & tam de arbitro solo, quam conjuncto cum Christiano, ut comprobatur ibid. Ricciull. ubi tamen limitat ex sententia Bartoli, quando Judæus ageret ut arbitrator, & compositor amicabilis, id est, potius de facto, quam de jure.

25. Quer. An Judæus possit promoveri ad lauream Doctoratus? Resp. De jure ordinario negative; at ex gratia speciali Principis affirmative pro Philosophia, & Medicina tantum, ut servatur hic Patavii, ex benignitate Serenissimæ Reipublicæ nostræ; pro qua facit Staphil. de Litteris gratia tit. De Prærog. Expect. Mandos. De Signat. litter. grat. Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

sub rubric. Licentia Doctorandi; vers. Judæis concedi. Et Ricciull. d. lib. 2. cap. 25.

26. Quer. An Judæus possit esse Procurator, aut Advocatus, aut Notarius? Resp. Negative, non solum pro negotiis Christianorum, sed neque pro causis Judæorum. Ricciull. d. lib. 2. cap. 24. 26. & 27.

27. Quer. An Judæi possint tenere Nutrices Christianas in domibus suis pro lactandis filiis? Resp. Negative. Cap. Et si Judæos. Cap. ad hoc. De Judæis; neque ex dispensatione Episcopi. Ricciull. d. lib. 2. cap. 28. num. 15. & 16. Imò neque dispensare potest, ut lactent filios hebræorum in domibus earundem Nutricum Christianarum; nisi in casu magnæ necessitatis, & hoc ad evitandam familiaritatem cum Judæis.

28. Quer. Cum supra dictum sit cap. 8. num. 6. non licere infidelium infantes filios baptizare, quid esset agendum, si de facto baptizati fuissent? Resp. Esse educandos seorsim à parentibus Judæis, & sic apud Christianos, ac instruendos in fide Catholica, quia vere receperunt characterem; ut ex pluribus probat Ricciull. d. lib. 2. cap. 34. ubi sic decisum esse testatur à Sacr. Congregatione; quæ propterea damnavit Calderin. conf. 3. de Judæis, & ejus sectatores contrarium docentes. Aliter autem est, si adultus Judæus per vim præcisam, ac omnino reclamans fuisset baptizatus, Ricciull. ibid. cap. 35.

29. Quer. An liceat Christianis relinquere aliquid Judæo vel ex testamento, vel ex legato, vel ab intestato? Resp. Veriorem esse opinionem Negativam, quam latè probat Ricciullus d. lib. 2. de Jure personar. extra Eccles. grem. existen. cap. 44. per totum. Nisi forte testator esset ipse Pater antea baptizatus, quia ei liceret, cum de Jure naturæ filius succedere posset, & habere bona Patris, Ricciull. ibid. cap. 47.

30. Quer. An liceat Christianis incitare Judæos ad faciendum aliquid contra Legem Mosaicam, quamvis ipsi Judæi putent, opus illud esse mortale, puta, edere carnem porcinam, vel in die Sabbati laborare? Resp. Non licere, nisi prius monitos reddant eosdem Judæos de cessatione legis, & quod amplius non obligat ad peccatum; & ratio est, quia si Judæus facit opus, quod putat mortale, licet in se non sit, tamen peccat mortaliter, quia agit cum conscientia erronea; ut probat de Turca incitato per Christianum ad potandum Vinum, Tambur. in Decal. lib. 2. cap. 1. §. 10. num. 10.

31. Quer. An liceat unicuique Christiano disputare de fide contra Judæos, aut alios infideles? Resp. Negative tum ex Præcepto naturali, quo indocti non debent se exponere periculo errandi, vel cedendi fallaciis Judæorum; tum ex Præcepto Ecclesiastico in cap. Quicumque. §. Inhibemus. de Hereticis in 6. ubi cavetur, ne Laici audeant publice, aut privatim de fide disputare sub poena excommunicationis. A quo textu exceptos esse Clericos, ac Laicos doctissimos censet Tamburin. d. lib. 2. cap. 1. §. 11. ubi etiam notat, dictam poenam excommunicationis non esse latæ sententiæ, & non obligare sub mortali.

12 Erotem. Eccles. Cap. X. De Fidei Profess. emittenda.

32. *Quer.* An Judæi ad fidem conversi gaudeant nobilitate? *Resp.* Negative. Rot. par. 2. rec. decis. 249. Plura qui scire cupit de Judæis, legat novissimum opus doctissimi Abbatis Pascucci compilatoris consultationum D. Pignatelli tom. 1. verb. *Judæi*, ubi plurima scitu digna, ac curiosa; nec non Matth. de Afflictis Decis. 151.

CAPUT X.

De Fidei Professione emittenda.

1. *Quer.* Qui, & quot teneantur ad faciendam Fidei Professionem? *Resp.* Decem genera personarum, videlicet Primò, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi. Secundò, Provisi de Canonicatibus, vel dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus. Tertio, Provisi de beneficiis curam animarum habentibus. Quartò, Prælati Regulares provisi de Monasteriis, Conventibus, aut aliis domibus in titulum. Quintò, Promovendi ad gradum Doctoratus. Sextò, Magistri Grammaticæ, Rhetoricæ, & aliarum artium liberalium. Septimò, Concionatores, & Lectores Sacræ Scripturæ, vel Theologiæ. Octavò, Lectores, Medici, aut Jurisconsulti. Nondò, Impressores librorum. Decimò, Omnes alii, à quibus periculum esse possit errorum disseminandorum. Nicolius Lubration. *Canonicarum lib. 1. tit. 1. num. 11.* Ricciull. *de Jure Personar. lib. 1. cap. 13.* Tambur. *in Decal. d. lib. 2. cap. 1. §. 12.* & Thesaur. *de Penis Eccles. part. 2. verb. Fidei professio*, ubi ponit textum tam juris communis, quam Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum Pii IV. Gregorii XIII. & S. Pii V.

2. *Quer.* An obligatio fidei professionis faciendæ sit in usu quoad omnes supradictos? *Resp.* Negative; sed tantummodo quoad Archiepiscopos, & Episcopos, Canonicos, Parochos, & Doctorandos. Thesaur. *ubi supra sub num. 4.* Nicol. *num. 6.* & Tambur. *d. §. 12. num. 6. & 9.*

3. *Quer.* Coram quo sit faciendæ fidei Professio à Lectoribus in studiis publicis? *Resp.* Coram Superioribus ipsius studii, vel omnibus Doctoribus congregatis unà cum Rectore Universitatis. Ricciull. *d. lib. 1. cap. 13. num. 9. & seqq.* ubi subdit, legentes in privatis ædibus, seu Monasteriis scientias, etsi de jure teneantur, tamen ex usu non facere fidei professionem.

4. *Quer.* An Vicarii deputati ad curam animarum in Ecclesiis de mensa teneantur ad fidei professionem? *Resp.* Affirmative, si deputati sint perpetui; non autem amovibiles. Ricciull. *ibid. num. 12. & num. 59. & 60.*

5. *Quer.* An Canonici Cathedralium censeantur obligari ad hanc fidei professionem tam Sæculares, quam Regulares? *Resp.* Tam Sæculares, quam Regulares. Garz. *de Benef. par. 3. cap. 3. num. 16.* Ricciull. *ubi supra d. lib. 1. cap. 13. n. 13.*

6. *Quer.* Coram quo profiteri fidem teneantur tam Parochi, quam Canonici? *Resp.* Quod Parochi tenentur eam profiteri coram Episcopo, vel Vicario generali; Canonici

verò tam coram Episcopo, quam coram Capitulo, sive sint exempti, sive subiecti Episcopo. Sac. Congreg. apud Garziam *ubi supra num. 21. & Ricciull. num. 14.*

7. *Quer.* Quomodo faciendæ sit fidei professio Sede Episcopali vacante per Canonicos Cathedralis? *Resp.* Et coram Capitulo, & coram Vicario capitulari, qui representat Episcopum. Ricciull. *d. lib. 1. cap. 13. num. 15. 16. 17.*

8. *Quer.* Intra quod tempus est faciendæ fidei Professio? *Resp.* Intra bimestre à die adeptæ possessionis, dignitatis, vel beneficii. Concil. Trid. *sess. 24. cap. 12. de ref. & DD. supradicti.*

9. *Quer.* Sub qua pœna sit faciendæ fidei professio? *Resp.* Sub pœna amissionis fructuum. Concil. Trid. *d. sess. 24. cap. 12.* Thesaur. *de Penis d. part. 2. verb. Fidei professionem num. 3.*

10. *Quer.* An omisso professionis fidei in supradictis personis ad eam obligatis sit etiam peccatum mortale? *Resp.* Esse hinc inde opinionem; sed negativam videri probabilem, ex regula ordinaria, quod lex pœnalis, ut est ista, non obligat ad culpam, sed tantummodo ad pœnam. Tambur. *in Decal. d. lib. 2. cap. 1. §. 12. num. 4.* & de expedita Confessione *lib. 3. cap. 1. §. 8.* Ricciull. *d. lib. 1. cap. 16. num. 2.*

11. *Quer.* An Parochus, qui transit ad aliam Parochiam, vel Canonicus alium obtinens Canonicatum, teneatur iteratò fidem profiteri, si antea professionem illius fecerat? *Resp.* Affirmative. Garz. *d. part. 3. cap. 3. num. 17.* & Ricciull. *d. lib. 1. cap. 13. num. 19. & 20.* ubi confutat contrarium sentientes. Idem docet Barbosa. *alleg. 61. num. 9.* Et novissimè Pignatellus *tom. 9. consulti. 114. num. 45.*

12. *Quer.* An hæc fidei professio faciendæ sit personaliter, vel sufficiat per Procuratorem? *Resp.* Esse discordes in opinione Doctores; sed magis communiter sentiunt, quod possit fieri per Procuratorem. Ricciull. *d. cap. 13. num. 21. & 22.* Pignatell. *d. num. 45.* & Nicol. *d. lib. 1. cap. 1. num. 2.* ubi tamen notat, in praxi consultius esse, facultatem petere à Sac. Congregatione, quæ eam libenter impertitur absentibus.

13. *Quer.* An necessarium sit mandatum speciale in Procuratore facturo fidei Professionem? *Resp.* Affirmative, quia non potest jurari in animam alterius sine speciali mandato. Est tamen verum, quod sufficit mandatum factum ad capiendam possessionem beneficii, & sic explicita hæc qualitas fidei professionis faciendæ non est necessaria, quia implicite censetur existere. Ricciull. *d. cap. 13. num. 33. & 34.*

14. *Quer.* An professio fidei non facta à beneficiatis intra duos menses, sit amplius per eos faciendæ? *Resp.* Affirmative, quia terminus duorum mensium non est præfixus ad finiendam obligationem, sed ad differendam pœnam. Navar. *conf. 4. tit. de Summi. Trinit. & Fide Cath. & facit tex. in cap. Cum dilecti. §. Præterea. De dolo, & contum.* Et debet fieri absolute, non ad recuperandos fructus amissos,